

QUÆRITUR QUINTO, QUI SINT EFFECTUS  
SPEI.

XIV. Respondetur quod spes causat amorem, et juvat, atque conducit ad operationem, ut scilicet promptius quis operetur. Intelligitur autem causare amorem, non respectu boni sperati (quamvis, et hunc augere possit, quia cum spe crescit ardor habendi, et acquirendi) sed respectu ejus a quo sperat obtinere rem speratam; spes enim supponit desiderium, et amorem de ipso bono quod concupiscit sibi, et sic spes supponit amorem concupiscentiæ, causat vero amorem amicitiae respectu ejus a quo sperat illud bonum, quia ab ipso auxilium habet. Et sic spes in nobis præcedit charitatem. Confert autem ad melius operandum, quia spes præmii stimulat operantem; tum, quia existimat esse possibile, et futurum; tum, quia per se habet delectationem de appropinquatione ad ipsum, et delectatio confert ad melius operandum. Desperatio autem in bello causat audaciam per accidens, quatenus volunt aliqui mortem suam vindicare acrius, ex suppositione quod vident se sine remedio.

QUÆSTIONES XLI, XLII, XLIII,  
XLIV.

*Timor.*

QUÆRITUR PRIMO, QUID SIT TIMOR, ET  
QUE EJUS SPECIES.

I. Respondetur timorem esse passionem, seu actum appetitus sensitivi, quod pertinet ad genus ejus; esse autem specialem passionem, quatenus habet speciale objectum inter alias, quod pertinet ad ejus differentiam. Est passio timor, quia

pertinet ad vim appetitivam, est enim de malo, cujus fuga pertinet ad appetitum, qui versatur inter bonum, et malum. Pertinet etiam ad appetitum sensitivum, et fit cum quadam immutatione corporali, scilicet contractione, aut tremore, ut experientia constat, et in brutis etiam apparet, et sic est passio, quia est eum immutatione corporali. Est etiam specialis passio, quia versatur circa malum futurum, et imminens, quod de facili repelli non potest, sicut spes de bono arduo, et sic differt a tristitia, quæ est de malo jam conjuncto, et præsentem, et ab ira, quæ est de malo ut vindicando, et repellendo, non ut incumbente, et vincente, sicut timor. Et sic pertinet ad eandem potentiam ad quam spes, scilicet ad irascibilem, quia ad potentiam ad quam pertinet firmari contra difficultates, easque vincere, pertinet infirmari, et vinci ab eis. Dicitur tamen a philosopho, quod timor est tristitia, quia ejus objectum est contristativum, quando est præsens, et sic ad illam disponit. Sicut etiam dicitur desiderativus, quia oritur a desiderio boni contrarii.

II. Sex species timoris assignantur a Damasceno, videlicet segnities, erubescencia, verecundia, admiratio, stupor, agonia, quæ sic distinguuntur. Objectum timoris est malum imminens, et excedens potestatem timentis, ita quod de facili ei resisti non potest. Hoc autem malum potest considerari, et inveniri, vel in operationibus ipsius hominis, vel in exterioribus rebus, seu operationibus aliorum. Si in ipsis operationibus hominis, vel est operatio aggravans naturam, ut labor, vel aggravans, et lædens honorem, seu opinionem, ut turpitudine. Timor ergo de labore est segnities, timor de turpitudine, vel est de turpitudine committenda, et sic est erubescencia,

vel de jam commissa, et est verecundia. Et sic tres primæ species pertinent ad malum ortum ex operationibus propriis. In quibus non timetur operatio jam præsens, vel præterita, sed aggravatio, vel infamia inde eventura. Si vero malum oritur ex aliquo exteriori, potest tali malo difficile resisti, vel ratione magnitudinis cujus causa ignoratur, nec habet exitum, et sic est admiratio: vel ratione dissuetudinis, et insolitiæ rationis, sic enim quod dissuetum est ligat imaginationem, ut difficile appareat, et sic est stupor: vel ratione improvisionis, quia subitum, et improvisum est, et occudit omnes vias, et quasi sapientiam devorat, et sic est agonia: unde stupor, et agonia de se impediunt valde considerationem. Admiratio vero de præsentem refugit facere iudicium, sed postea inquirat. Fuit tamen in Christo agonia, non quia consideratio, et sapientia fuerit extincta (quod pertinet ad imperfectionem) sed quia ex summa sapientia vidit esse oclusas omnes vias evadendi mortem, et tormenta, et sic inferior pars in illa occlusionem maxime afflictam fuit.

QUÆRITUR SECUNDO, QUOD SIT OBJEC-  
TUM TIMORIS.

III. Respondetur objectum formale esse malum futurum cum aliqua arduitate, et difficultate ut repellatur. Est etiam objectum timoris ipsa persona potens inferre malum; sicut enim spes respicit, et rem speratam tamquam bonum concupitum, et illum a quo sperat, ut auxiliatorem: ita timor respicit et malum, quod sibi provenire potest, et causam a qua inferri potest. Et circa primum est fuga a tali malo, circa secundum vero est reverentia, et resiliencia in propriam parvita-

tem a tali potestate potente infligere malum. Et pro ista parte timor respicit bonum, scilicet illam potestatem, quæ potest nocementum inferre, et per hunc modum timetur Deus ab homine in quantum potest infligere pœnam, vel spiritualem, vel corporalem, ut inquit D. Thomas in hac quæstione XLII, artic. i. Unde etiam in motu reverentiali erga Deum respicitur bonum divinum, seu potestas Dei non absolute, sed cum aliqua connotatione ad malum, scilicet non quatenus potest benefacere, sed ut potest lædere saltem de absoluta potentia, qua ratione etiam humanitatem Christi potest lædere, et hominem illum ratione humanitatis.

IV. Sic ergo timor habet pro objecto per se, et directe quatenus est fuga, aliquod malum imminens, omnis enim fuga est de malo per se loquendo, aut difficili, et arduo, quod tamquam malum reputatur. Ut autem timor quamdam reverentiam importat ad causam potentem infligere malum, sic respicit bonum dignum reverentia, id est, potest illam cum connotatione tamen et respectu ad malum, id est, quatenus potens lædere, non quatenus benefacere; sic enim potius generat amorem, et gratitudinem, quam timorem. Respicit etiam timor bonum in obliquo, quatenus fugiendo malum, fugit privationem boni, quæ in malo invenitur, et sic tangit bonum oblique.

V. Ex his constat quænam iudicanda sint objecta materialia timoris, scilicet omnia illa, quæ participant rationem mali terribilis, id est, cui de facili non potest resisti. Unde omnia voluntaria excluduntur ab objecto timoris, quantumcumque mala sint, ut malum culpæ. Quod enim voluntarium est (cum sit in nostra potestate) prout tale non timetur, et sic culpa non timetur in



se, licet possint timeri inductiva ad peccandum, quia non sunt in nostra potestate, ut societas malorum, et subsecuta mala ex culpa, ut separatio a Deo, amissio gratiæ, et ea quæ habent rationem pœnæ. Similiter timor ipse, et tristitia, et dolor timeri possunt, non prout a voluntate sunt, sed prout dependent ab extrinseco malo, quod non est in nostra potestate. Quæ autem voluntaria non sunt, nec in nostra potestate, timeri possunt, etiamsi naturalia sint, id est, naturæ repugnantia, aut a naturali causa provenientia, dummodo sint corruptiva, et læsiva, ut mors, infirmitas, etc. si apprehendantur non ut necessario eventura, sed ut imminetia cum aliqua spe remedii et si difficilis; et in his multum timentur repentina; tum, quia majora æstimantur; tum, quia magis improvisum intercipiunt, et sine remedio ad repellendum. Quæ autem ut irremediabilia apprehenduntur, maxime timentur, dummodo remaneat aliqua spes vitandi de præsentia, licet si semel advenerint, sine remedio sint.

QUÆRITUR TERTIO, AN AMOR BONI, ET DEFECTUS POTESTATIS SINT CAUSA TIMORIS.

VI. Respondetur esse amor quidem, quia per illum disponitur quis ad aliquid, cujus privatio est ipsi mala, et nociva, ideoque timetur, quod non esset si non amaretur id cujus est privatio. Defectus autem potestatis in eo qui timet, est causa timoris per modum dispositionis, quatenus sic est dispositus, ut non possit imminenti malo resistere. Ex parte vero ejus qui infert malum, potest defectus inducere timorem non active, sed per accidens, et occasionaliter, quatenus sentiens in

se defectum, procurat vindictam, et procurando illam, timetur ab alio.

QUÆRITUR QUARTO, QUI SINT EFFECTUS TIMORIS.

VII. Respondetur esse quatuor. Unum habet in appetitu, scilicet contractionem, et strictionem cordis: secundum, in intellectu per accidens, scilicet facere sollicitum, et consiliativum, nisi sit timor superabundans: tertium, in corpore, scilicet tremorem, quartum: universaliter in omni operatione, quod impedit eam si sit magnus timor ratione perturbationis iudicii, non si sit moderatus, quia potius incitat ad sollicitudinem. Facit contractionem timor in appetitu, quatenus est fuga a malo imminenti, cui de facili resistere non potest, et sic non dilatur erga objectum, sed retrahitur, seu fugit ab illo, et in se contrahitur, quia virtus quanto est debilior, et minus resistens, minus extenditur. Unde spiritus vitales, in quibus est vis accendens, retrahuntur ab inferioribus, et exterioribus ad cor ex timore, qui in irascibili est, quæ sedem habet in corde. Inde resultat tremor in membris, quia deficiente calore, et vivacitate spirituum, debilitatur virtus membrorum, et ex debilitatione tremit, succedente frigore ad defectum caloris. Facit timor consiliativos, si non sit nimius, quia quod timetur existimatur non facile repelli posse, et sic excitat curam, et sollicitudinem ad inveniendum viam, qua possit effugere quis, et resistere. Si autem timor multum excreseat, perturbat iudicium, devorat omnem sapientiam, et tunc impedit consilium. Et eadem ratione impedit omnem operationem, quæ ex directione iudicii dependet, aut reddit magis alacrem ex

sollicitudine, quam acuit, si timor non sit nimius. Per se autem, et directe in ipso corpore operationes naturales impedit ex retractione caloris et spirituum, quæ sunt instrumenta vitalium motuum. Ex frigore autem succedente etiam purgamenta relaxari solent, et emitti, soluta vi retentiva ob defectum caloris.

#### QUÆSTIO XLV.

##### Audacia.

QUÆRITUR PRIMO, QUOMODO AUDACIA SE HABEAT AD TIMOREM ET SPEM, INDE ENIM CONSTABIT QUALIS PASSIO SIT.

I. Respondetur audaciam contrariari timori, consequi vero ad spem. Audacia enim habet idem objectum quod timor, sed sub contraria ratione, et tendentia. Timor enim respicit malum ut ei succumbens, aut ab eo fugiens. Audacia vero ut superans, et sustinens, sive aggrediendo, sive tolerando. Et sic audacia est nomen passionis, sicut timor, habetque corporalem transmutationem in impetu cordis aggredientis; licet si excedat rationis moderationem, vitii nomen sit. Dicitur autem audacia esse circa malum, licet sit actus prosecutivus, cum tamen prosecutio sit actus appetitus circa bonum, eo quod audacia prosequitur bonum quod est victoria, et aggreditur malum non ratione sui, sed ratione victoriæ, quam de ipso intendit. Itaque non fugit malum audacia, nec prosequitur illud amando ut bonum in se, sed tamquam materiam victoriæ, quæ est bonum; prosequitur malum ut vincendum, non fugit ab illo ut vincente, sicut timor, et ita non prosequitur malum appetendo sub ratione mali,

sed ut vestitum habitudine boni, scilicet propter bonum victoriæ illi adjunctum. Hoc tamen bonum dicitur per accidens adjungi illi malo, quia non ex propriis audaciæ habetur, sed ex participatione spei, ad quam directe pertinet intendere consecutionem rei speratæ quæ est victoria: ad audaciam vero pertinet ponere media, non positiva bona acquirendo, sed mala impediencia tollendo. Et sicut dantur post finem intentum electiones mediorum, quibus tenditur ad finem, et quæ appetuntur non ratione sui, sed finis, ita dantur executiones circa media impediencia, quæ sunt mala, et hoc est directum objectum eorum, scilicet aggressio malorum: ratio autem prosequendi non ex talibus mediis desumitur, sed ex participatione spei, seu finis intenti a spe, quæ est victoria. Et sic bonum non est proprium objectum audaciæ, sed malum ut vincendum et ex participatione boni, quod est finis, seu victoria, redditur attingibile actu prosecutionis.

II. Ex quo infertur, quomodo audacia sequatur ad spem, et sit ejus effectus, non autem audacia sit pars spei. Hoc enim constat, quia objectum spei, et audaciæ se habent sicut finis, et media; spes enim intendit bonum, ut consequibile per media, etiam ardua. Audacia aggreditur repellere in executione arduitatem, seu malum impediens, et remotio mali impeditivi se habet ut medium ad consequendum finem. Voluntas autem et executio mediorum est effectus intentionis finis, et licet habeat distinctum objectum, scilicet ipsa media, rationem tamen, et vim prosequendi habet participative a fine. Sic etiam: «Desperatio sequitur ad timorem» inquit D. Thomas hic quæst. XLV, artic. II, quod intelligendum est via executionis, et de desperatione consum-



mata, et plena, non de inchoata, quæ est quædam animi dejectio, unde incipit timor. Et sic supra quæst. xxv, articul. v, dixit D. Thomas quod timor sequitur ad desperationem, quod intelligendum est via intentionis, loquendo de desperatione consummata, hæc enim opponitur spei, et sicut spes est de bono seu fine consequibili, ita desperatio ejus opposita est de fine non consequendo, et sic præcedit in intentione. Et sic signanter dixit S. Thomas, quod desperatio est ratio timoris, proprium autem finis est esse rationem aliorum, et aversio seu remotio a fine consequendo est ratio fugiendi media, quod facit timor. Vel etiam desperatio imperfecta, scilicet quædam animi dejectio, præcedit via executionis timorem, sequitur autem plena, et consummata desperatio, quando jam omnia media dimittuntur propter impossibilitatem consequendi, talis enim desperatio supponit præcessisse timorem de consequendo.

QUÆRITUR SECUNDO, QUÆ SIT CAUSA,  
ET QUIS SIT EFFECTUS AUDACIÆ.

III. Respondetur causari audaciam ex his, quæ provocant spem, et erigunt illam, et his quæ excludunt timorem, qui contrariatur audaciæ. Erigitur autem spes per existimationem possibilitatis adipiscendi, et per amplitudinem cordis, ad quod confert caliditas, et copia spirituum vitalium. Excluditur autem timor per exclusionem eorum terribilium, quæ nos circumstant. Unde per se non causatur audacia ex defectu, sed ex abundantia, nisi per accidens, in quantum ex ignorantia, quæ est quidam defectus, excluditur cognitio periculorum, et timorum. Effectus autem audaciæ est promptitudo in

aggressionem prima, et deficientia in continuatione, quando audacia oritur ex illa sensitiva apprehensione, quæ non habet prævidentiam in futurum, sed subitum motum ex præsentibus, et sic facile movetur ad aggressionem, quia non videt omne periculum, postea autem periculis insurgentibus dejicitur. E contra vero audacia orta ex ratione, et discursu melius prævidet pericula futura, nec ducitur ex solis præsentibus, et ideo tardat aggredi propter sola præsentia, posita autem prævisione futuri periculi, etiamsi postea accidat, non dejicitur, sed perseverat; tum, quia non est improvisum; tum, quia ducitur motivo virtutis, quæ est constans, et perseverans.

QUÆSTIONES XLVI, XLVII,  
XLVIII.

*Ira.*

QUÆRITUR PRIMO, QUID SIT IRA, ET  
IN QUO APPETITU SIT.

I. Respondetur iram esse specialem passionem, non generalem, neque per modum prædicationis, neque per modum causalitatis, licet sit effectus multarum passionum, Est passio, quia est appetitus vindictæ, et corporalem transmutationem habet, quia fit cum accensione sanguinis circa cor. Non est generalis in prædicando, quia non prædicatur de aliis passionibus, ut de amore, et desiderio, spe, etc. quia sine ira inveniuntur. Nec in causando, quia hoc pertinet ad amorem, qui est principium, et causa cæterarum passionum. Sed tamen ex pluribus passionibus consurgit ira, scilicet ex tristitia mali illati, ex spe, et desiderio ulciscendi, ex audacia, etc. Est ergo specialis passio, quia res-

picit speciale objectum, scilicet quod, et cui. Vult enim vindictam, eamque prosequitur ut objectum quod, et ex parte respicit, et appetit aliquam rationem boni, scilicet vindictam satisfactivam suæ læsionis, licet sit mala, et nociva lædenti. Ex parte autem objecti cui, id est, personæ cui vult inferre vindictam, et hanc respicit ut malum, id est, ut nocivam, et læsivam injuriam. Et sic objectum iræ est compositum ex bono, et malo respectu diversorum, id est, respectu objecti quod, et cui. Et licet aliquæ aliæ passionibus habeant etiam objectum cui, et quod, quia vel sibi, vel alteri volunt aliquid, tamen non omnes id habent explicite sicut ira, amicitia, et injustitia, et similes. Non est ira in concupiscibili, sed in irascibili, quia non respicit bonum, aut malum absolute, sed cum quadam arduitate, et elevatione, aut difficultate, quia vindicta non queritur nisi circa aliquid, quod existimatur magnum, id est, dignum ultione, et satisfactione, quam sumere intendit, et sic appetitus vindictæ solet etiam libido appellari ob multum impetum. Causari tamen potest ex passionibus concupiscibilis, ut ex tristitia, odio, desiderio, etc. Et sic est in illa causaliter, non formaliter.

QUÆRITUR SECUNDO, AN IRA SIT NATURALIOR CONCUPISCENTIA.

II. Respondetur secundum diversas considerationes iram dici magis naturalem concupiscentia, et e converso. Nam si in homine consideretur natura generica, sic naturalior est concupiscentia, quatenus ex communi natura habetur inclinatio ad conservandam vitam, quæ fit appetendo concupiscibilia cibi, aut potus, aut veneris. Si vero con-

sideretur natura specifica, scilicet in quantum homo est rationalis, et discursivus, sic naturalior est ira, quia appetit vindictam, quæ magis accedit ad quamdam rationem justitiae, et satisfactivi, et de hoc magis judicatur per rationem, et discursum. Et tamen sicut ratio movet ad iram conferendo de ipsa vindicta, et denuntiando causam iræ, etiam ad rationem pertinet sedare iram, inquit S. Thomas, in quantum iratus non totaliter audit imperium rationis, id est, in quantum ira sic excitatur per rationem, ut non despotice ei obediat appetitus, et ideo indiget multa ratione ad frænandum illam. Denique si consideretur natura individualis juxta complexionem particularem, sic naturalior est ira, quam concupiscentia, quando prædominatur cholericæ complexio, quæ ad iram succendit. Et quia facilius movetur cholera inter omnes humores, naturalius ex cholera sequitur ira, quam ex aliis humoribus concupiscentia, etiamsi prædominetur.

QUÆRITUR TERTIO, QUID SIT GRAVIUS  
ET PEJUS, ODIUM AN IRA.

III. Respondetur odium esse multo gravius, unde ira quando crescit, crescit in odium, et trabem facit de festuca, ut Augustinus dicit in regula. Ratio autem est, quia licet ira, et odium convenient in hoc quod appetant malum alteri, seu nocivum, tamen ira appetit sub ratione vindictæ, et satisfactionis ad ulciscendum, id est, ad faciendum æquale. Unde habet quamdam speciem justitiae. Et sic videmus quod cessante ratione justitiae, quia aestimatur alterum non offendere, cessat ira. At vero odium unit alteri malum quatenus illi malum est præcise, quia ita corruptam habet æs-